



2/10/11
~~GA 17~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-61.

SIGNAT. c1515CCCXIII.

36

Nonnullas Posi- tiones Politicas, ad caput de Subditis pertinentes,

PRÆSIDE

MICHAELE WENDELERO,
D. & P. P.

publicè proponit

GEORGIUS HÜTTERUS, Cibinio-
Transylvanus,

*Die 19. Junii in Auditorio Majeri,
Horis antemeridianis.*

WITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINGELII,
Anno M DCLXII,

h. 111. 2169

Positiones Politicæ.

I. **C**lerici debent subiecti esse seculari potestati Contra Pontificios, cum primis *Bellarminum lib. de Clericis c. 28.* Quamvis autem Pontificii omnes arbitrentur, Clericos à jugo secularis potestatis esse exemptos, quo tamen jure sint exempti, non conveniunt. Nonnulli censent, jure divino liberos esse Clericos & eorū bona à potestate secularium Principum. Ita docet *Glossa & quidam ex Canonistis.* Alii verò, ut *Franciscus Victoria, Dominicus à Soto, Johannes Medina & Covarruvias* existimant, Clericos esse liberos, jure quidem divino in causis Ecclesiasticis & spiritualibus, sed jure humano in aliis. Per hæc autem intelligunt non modò causas Politicas, nec tantum solutionem tributorum & censuum ob bona, sed etiam obligationem legum civilium.

II. Nos statuimus, *Episcopos ac Ecclesie ministros potestati civili in temporalibus subiectos esse debere.* Quamvis enim in iis, quæ sunt ministerii propria, nemini nisi DEO & Ecclesie subdiciantur; attamen ratione causarum forensium, possessionum, tributorum & legum civilium, ad bonam Reip. administrationem spectantium, Magistratui meritò subiecti esse debent.

III. Pro hujus thesios confirmatione, nempe ministros Ecclesie à jugo potestatis temporalis non esse eximendos, sequentia producimus argumenta: 1. *Quia generale obedientie præceptum extat Rom. 13. v. 1.* Hinc ita concludimus: Omnis homo, nullo excepto, debet magistratui esse subiectus, juxta Paulum. Ergò etiam ministri; siquidem hi minimè in textu Paulino excipiuntur. Imò argumenta, quæ pro subiectione afferuntur, generalia sunt, & quosvis Christianos concernunt. Nam Paulus ratiocinatur à honesto v. 1. à turpi v. 2. à pernicioso v. 2. ab utili v. 3. à necessario v. 5. & à connexis v. 6. & 7.

IV. Hæ sunt rationes pro obedientiâ, magistratui debitâ. Jam verò illi omnes, quos istæ rationes obligant, subiecti esse debent. Verùm rationes illæ obligant quoq; ministros Ecclesie. Nam & hi honestum eligere, turpe & honestum fugere, fructuosum sequi, bonam conscientiam retinere, & tributa solvere debent. Ergò & ministri Ecclesie Magistratui subiecti esse debent.

V. 2. *Quia Sacerdotes in V.T. Christus & Paulus in N.T. fuerunt*

runt *subiecti*. Sacerdotes veteres quod spectat, certum est, nullam
diversitatis rationem hic allegari posse. Minor probatur: quia nec
Levitæ, nec summus Pontifex usi sunt alio jure in republicâ Israeli-
ticâ, quàm communi. Accedunt exempla multorum regum, qui
omnem jurisdictionem exercuerunt in Sacerdotes. Christum fuisse
subiectum, patet ex *Job. 10. v. 11.* Idem *Matth. 17. v. 27.* vectigal sol-
vit pro se & Petro, non utens jure libertatis, quod habebat, vitandi
scandali causâ, ne quis ejus exemplo libertatis jus sibi sumeret,
quod non haberet. Paulus *Act. 25. v. 11.* appellavit à Synedrio Hie-
rosolymitano ad Cæsarem.

VI. *Etiam infideli & hæretico magistratui à Christianis subditis
debetur obedientia.* Negativam defendunt Pontificii, cum primis Je-
suitæ, utpote *Bellarminus lib. 5. de P. R. c. 7.* *Becanus T. 1 p. 501. 502.* &
Dominicus Bannes in c. 2. 2. q. 12. art. 2. Hinc Romanus Pontifex om-
nes subditos eorum Principum, quos propter heresin excommu-
nicat, à fidelitatis juramento absolvit.

VII. Nostram ut explicemus positionem, ante omnia di-
stingvimus inter *magistratus inferiores & meros subditos.* Illi bonâ
conscientiâ Magistratui supremo sese opponere, & arma contra
ipsum capere possunt. Nam politici sunt obedientiam non absolu-
tè, sed conditionatè & sub certis hypothesibus; quas si summus ma-
gistratus ex suâ parte non observet, inferior magistratus obtempe-
rare non tenetur, cum talem obedientiam non promiserit. Meri
verò subditi quamvis ad mandatum Principis, veram fidem abne-
gare, & novam religionem assumere non debeant, cum magis DEO,
quàm hominibus obediendū sit, *Act. 5. v. 20.*; tamen in temporali-
bus ad obedientiam semper obstricti manent; neq; bonâ conscien-
tiâ, ob solam infidelitatem, vel hæresin sui Principis, adversus i-
psam arma capere, vel clanculum è medio ipsum tollere possunt.


VIII. Nam omnis Magistratus atq; sic etiam Ethnicus est à
DEO, *Rom. 13. v. 11.* *1. Pet. 2. v. 13.* *Daniel. 2. v. 37.* & *Jerem. 17. v. 6* Christus
ipse, infideli Cæsari sua dari voluit, *Matth. 22. v. 21.* Hinc sequitur,
obediendum esse in omnibus, quæ contra DEUM ejusq; verbum
non præcipiuntur, ne divinæ potestati resistendo ipsi DEO resistatur.
Deinde dicta generalia obedientiam, magistratui præstandam, exi-
gunt à subditis, sine ullâ exceptione. Talia leguntur *Rom. 13. v. 1.* &
1. Pet.

5. 1. Pet. 2. v. 13. & 14. Porrò Israelitæ jubentur pro vitâ Nebucad-
nezaris, qui erat Idololatra, orare, Jerem. 29 v. 7. Christus præcipit,
Matth. 22. v. 21, dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Paulus injungit, ut
orent pro regibus, 1. Timoth. 2. v. 2. Nulli verò tùm alii erant, nisi Eth-
nici Reges & Magistratus. Huc pertinent exempla piorum, qui
Ethnicis Regibus subiecti fuerunt.

IX. Tyranni sine titulo, vel occupatione, à subditis jure de-
poni & interfici possunt. Nam sunt prædones & raptores publici,
qui per vim irrumpunt in possessionem alienam, & iniquè aliena
possident.

X. Tyrannus exercitio vel administratione, si sit ἀνομιαν ἔχων,
vel certis conditionibus electus, à regni Ordinibus deponi, & si arma
capiat, armis quoque oppugnari potest. Nam 1. Magistratus officium
hoc requirit; quippe cujus est subditos tueri contra injustam op-
pressionem. Ordines verò regni sunt loco Magistratus, quia par-
tem potestatis in electione sibi reservârunt. 2. Modus mutue ob-
ligationis idem confirmat, Nam inter Principes restrictæ potestatis
& Ordines Regni Electivi contractus fuit initus, ut Princeps in leges
regni fundamentales prius juraverit, quàm Ordines nomine quo-
rumvis subditorum pollicerentur.

XI. Tyrannus exercitio, si sit ἀνομιαν ἔχων, & absolute pote-
statis, à merè subditis deponi, armis oppugnari, vel interfici facile non
potest. Contra Pontificios, qui geminum errorem fovent. Nam
1. Tyrannum malè describunt. Illi enim Tyrannum æstimant ex
hæresi, & quidem non verâ, sed fictâ. 2. Statuunt, Tyrannos facile
abdicari & occidi posse. Nam in Christianâ Repub. vix possunt
peiores dari Principes, quàm quales fuerunt Tiberius, Caligula &
Nero, quos tamen Christus, Apostolus & primitivæ Ecclesiæ Do-
ctores, à solio dejiciendos esse nunquam docuerunt; sed po-
tiùs ad obedientiam subditos cohorta-
ti sunt.





Umg. VI-61

ULB Halle

3

004 113 25X




IA 701

Umg. VI 61







36

Nonnullas Posi- tiones Politicas, ad caput de Subditis pertinentes,

PRÆSIDE

MICHAELE WENDELERO,
D. & P. P.

publicè proponit

GEORGIUS HÜTTERUS, Cibinio-
Transylvanus,

*Die 19. Junii in Auditorio Majori,
Horis antemeridianis.*

WITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINCELII,
Anno M DCLXII,

h. 11. 2169